

tatio Helvetiae primum postea totius congregationis et per vota iniuncta dom. abbati Christophoro de Speciosa Valle. Die ultimo infulam imposuit solenni ritu rev. dom. Bernardino de Mulbrunn rev. dom. Georgius de Caesarea auctoritate speciali Urbani Papae VIII., assistentibus Schönthalensi et Tenebacensi. Visitationem iniunctam rev. dom. Christophorus abbas noster die 21 Octobris aggressus est et visitatis 10. monasteriis die 21 Decembris per maxima pericula militum reversus fuit.

1643. 2 Januarii facta hostilis irruptio a milite Gallico et Suecico, duce comite de Guebrian, Dubadel et Rosa. Abbas cum conventu reliquo quibusdam equis et bobus fugit Heilbrunnam et vix attigit Necrosulmam*, dum hostes erant in coenobio. In hac depraedatione gravissima illata monasterio damna. Et duravit hostilis haec oppressio a 2. Januarii usque ad 4. Februarii, intra hoc tempus omnia in monasterio ablata et distracta, contrafacta, eversa et foedata fuere, vini plaustra 106. abducta, effusa et vicinis nobilibus a militibus donata. Circa 10. Februarii religiosi iterum convenire coeperunt. Post pascha fratres successive infirmari et doloribus colicis ac torminibus indicibilibus plures, subinde 10. 12. 16. tandem et ipso domino abbate comprehenso exeruciari coeperunt. Duravit haec lues, medicis undequaue vocatis, imperfecte usque ad annum 1645. Interea multi morte obierunt. Debata pharmacopolii contracta 500 fl.

1644. Bella et morbi continuarunt et in fine anni omnes monasterii decimae, et frumenta necdum illata cessere Bavaricis. frumenta vero collecta vendi debuere exercitui pro 3 fl. 1400 Mltr.

1645. 26 Februarii ex improvise monasterium in praedam cessit generali Rosae ejusque officariis; dominus abbas vix per muros de nocte evasit tandemque Herbpolim pervenit. Die 9 Julii in hac vicinia convenerunt omnes exercitus Gallicus, Suecicus, Bavaricus, Hassicis castris in et circa monasterium Schönthal positus, a quibus maximum et extremum incendii periculum subit. Hoc anno [1645] sub obsidione Heilbronnae, Gallici incenderunt et exusserunt nostram cellerariam et insignem domum ab domino abbate nuper aedificatam in Wimmenthal, eo quod a Bavaricis ibidem obruti et aliqui in ipsa domo occisi fuerint.

damit zusammen, daß dieser Cardinal damals die Generalate der Prämonstratenser, Cistercienser und Cambracenser an sich bringen wollte. Siehe Hurter, Gesch. Ferdinand II., Bd. 11. S. 246. 47. Diese Absichten Micheliens waren also auch in Schönthal bekannt.

* Necrosulmam, D.-N.-Stadt im Neckarthal.

1646. dissipatum denuo et varie vastatum fuit monasterium a Suecis totaque patriae catholica quaquaversum diripiebatur, vastabatur et hostium tributis subiciebatur a Rheno usque ad Oenun finesque Bavaricae et Tyrolis. Tandem dominus abbas fugatus et per exercitus hostium a monasterio exclusus, Constantiam variis aerumnis exagitatus 4 Octobris Badenam Helvetiorum pervenit, inde se miserabiliter contulit in Bregenz sine ullis mediis existens, donec pecunias a rev. dom. Caesariensi apud s. Gallum exulante mutuavit.

1647. 1 Februarii dom. abbas ab exilio in Speciosam Vallem rediit, ubi haerebant venerabilis pater Adamus Schüll, prior, et pater Robertus cum pauculis, reliquis in Franconia, per neutralitatem tuta, et quibusdam in grangiis nostris commorantibus. Hoc anno [1647] sexies spoliatum hostiliter monasterium, et vix in fine anni rehabilitari coepit. Prope monasterium intolerabili Gallorum equitum exactione oppressi subditi. Pagus Westernhausen* ad 18. domos igne nequiter injecto conflagravit. Direpta omnia sub Gallorum violentia.

1648. Per mensem Aprilem subfuit monasterium Speciosae Vallis spoliantibus et incuribus hostilibus diversorum 5. vicibus distinctis, donec tandem hoc ipso anno die 24 Octobris pax generalis inter imperium Germanicum, et regnum Galliae Monasterii Westphaliae, pax autem Germano-Suedica Osnaburgis tandem conclusa, subscripta et subsignata et usque ad annum 1650. 26. Junii Norimbergae executioni data fuit, quae pacificatio in anno 1642 inchoata fuerat, sed vix anno 1652. plene consummata. Hoc eodem anno 1648 die 31. Julii dom. abbas noster Christophorus ex mandato eminentissimi Moguntini et commissione s. ordinis in monasterium Eherbacense in Rhingavia** evocatus et 13. Septembris facta installatione ad interim saltem, ad certius eruendum ex periculo monasterium illud coactus fuit suscipere, retinere, curare et difficultates maximas usque ad 2 Aprilis 1651. Cum autem in Speciosa Valle conventus adhuc dispersus esset et non nisi 5 vel 6 religiosi adessent, ut divina et oeconomica restaurarentur rev. pater Michael Diemer tunc domus Heilbronnensis*** praefectus vice praeses constitutus fuit et eidem adjunctus rev. pater Candidus Gassenfeyd. Interea in utroque monasterio multi novitii suscepti.

* An der Jagt, D.-N. Alluzelsau, gehörte Schönthal.

** P. Hermann Bär's Geschichte der Abtei Eberbach, edirt von Hoffel, geht nur bis in's 14. Jahrh.

*** In Heilbronn hatte Schönthal einen eigenen Hof mit einer Kapelle. Züger, Gesch. v. Heilbronn S. 47. 156.